DE NUTRICE DISSERTATIO INAUGURALIS HYGENICO-MEDICA A...

Secondo Martinelli

DE

NUTRICE

DISSERTATIO INAUGURALIS

HYGIENICO - MEDICA

A

SECUNDO MARTINELLI

PROPOSITA

Quam doctoris corona donandus

PATAVII

TYPIS PENADA

MDCCCLXIII

ALL' OTTIMA

CUGINA

MARIA DOMENICA MARTINELLI REDAELLI

CHE I MIEI GENITORI

SEMPRE QUAL FIGLIA AMARONO

ED IO QUAL SORELLA AMO

PER STIMA ED AFFEZIONE

QUESTE POCHE RIGHE

TRIBUTO

Si homo, naturae filius prae ceteris longe dilectus, ab hujusce matris solertis sublimibus legibus, vitam suam peragendo, non deflecteret, pleraque certe damna vitaret, quibus efficitur; humani generis dies tot tantisque incommodis non premerentur, et complura medicorum praecepta inutilis suppellex evaderent. Ita si matres animalium exemplum sequentes, ubera proli tenellae concederent, sanctos materni amoris nutus non despicientes, firmiorem sane valetudinem ipsae obtinerent; validiusque soboles externis nocentibus potentiis procul dubio reageret; et, vix paucis casibus exceptis, de extraria nutrice sermo haberetur. Sed voluptatum amor et praejudicia plura socialia a recto tramite hominem distrahunt; quapropter philantropi desiderium de naturae imitatione in vita ducenda inanis utopia remanet;

atque exinde necessitas in dies augetur hygienes legum, ne omnino a naturalibus abludens praeceptis suae perditioni fomitem praecipuum homo contribuat.

At, heu nimis! non modo qui sanctas Naturae leges negligit plerasque molestias exinde patitur, quin immo praesertim progenies illius infirma evadit, talique ratione continuo humanum genus in deteriora ruit quoad compagis vigorem, valetudinis bonum et vitae proceritatem — Et quidem vera neminem latet ex genitoribus filios organicum textum immediate repetere atque exinde parentum morborum fomitem in se colligere, dum alia ex parte facilius, ob corporis imbecillitatem, neonati externas impressiones recipiendo aegrius illis reagere valent.

Ut veritas asserti perspicue eluceat in mentem revocare sufficiat infantem ex utero vix egressum prima vice vim externorum agentium pati, pleraque organica systemata tum primum actionem suam exercere, uti respirationem, vitae animalis functiones etc. Primus vero fons neonati malorum, ex quibus saepissime totius vitae infirma conditio est derivanda, communem juxta sententiam, ex nutritione prima a norma deflectente repetendus est

En quare et ipse hac faustissima die, qua laurum medicam obtineo, normas quasdam de nutricis selectu in mentem revocare nitor; nam quamvis tenuissimi operis mei, infirmitatis mea-

rum virium perfecte conscius, laudes celebrare minime suscipiam, tamen mihi videtur quod argumentum altioris sit momenti; meque felicem putarem si parentes nonnulli, nonne saltem meae dissertationis perculsi, auctores magis dissertos hac de re attento animo legerent, atque exinde tali pacto, sicuti huc usque heu nimis frequenter contigit, sua munera non despicerent, ita ut, non modo mercenariis filios nutriendos committant, sed ne de selectu quidem nutricis occupentur, ac si oblectationibus et beneficiis generationis parentibus gavisis nulla prorsus sollicitudo de filiorum bono incumberet.

Priusquam normas praecipuas adgrediar, quae in nutricis selectu dirigant, generalia quaedam de lacte exponere tentabo, deque momentis praecipuis quae conferunt ad lactis conditionem mutandam, ut exinde clare pateat quanta cautela incedendum sit de proposito argumento.

Humanum lac prae ceteris animalibus humoribus magis ad vegetabilem indolem accedit. Aëri libero expositum in tres partes secedit, serum nempe, caseum et butyrum. Haec tamen divisio pro parte ex aëris oxygenio pendet, ita ut major quantitas appareat butyri, quum lac in vase latae superficiei colligatur et exinde magis aëri expositum sit. Butyrum pars est lactis magis levis et pinguis, oleo et materie peculiari, *butyrina* vocata, compositum; caseus sponte coalescit et magis perspicuos animalis essentiae characteres offert,

hic pro maxima parte albumine constat; serum denique aqua, saccharo lactis et acido lactico praecipue constatur. Acidum lacticum, juxta quorundam chemicorum opinionem, acidum peculiare non est, sed acidum aceticum cum animali substantia commixtum. Attamen praeter componentia relata in lacte inveniuntur animalis mucilago, materies terrosae, alcalinae atque salinae; quas inter phosphates et lactates praesertim praevalent Berzelius aliique complures chemicae analysi lac exactissime subjecerunt; sed fere omnes diversas referunt deductiones; nec mirandum, quum lactis conditio pro variis circumstantiis mutetur, uti infra examinabimus.

Momenta praestantia quae lactis quantitatem vel qualitatem mutare valent ad sequentia reducuntur.

1. Distantia a partu — Primis diebus tenue magis, minus nutriens faciliusque digestionis vi cedens lac (colostrum) conspicitur, forsan peculiarem chemicam modificationem subit, quapropter purganti virtute gaudet et meconii evacuationi favet. In posterum spissius fit, magis nutriens, difficilius digestioni obediens.

2. Diversitas ciborum quibus femina vescitur. Lactis quantitas fere semper aequa proportione se habet cum ciborum quantitate et qualitate: idem de lactis indole repetendum. Communiter, juxta Richerand sententiam, lactis secreti copia in nutrice ad tertiam partem vel ad dimi-

dietatem cibi assumpti ascendit. Regula tamen generalis plures exceptiones admittit. Quoad lactis indolem neminem fugit quod haec, quum talis humor a sanguine originem sumat et sanguis varietates plures ostendat pro conditione diversa assumpti nutrimenti, longe differre debeat, cibis mutatis. Nutrimentum optimum, sufficienti copia et tempore convenienti propinatum, lac bonae notae praestat. Lac ea cibo vegetabili derivans facilius in aciditatem pronum conspicitur ac illud quod ex substantiis animalibus originem trahit. Semina aromatica, saccharo donata copiosum et optimum lac suppeditant, lac frequenter saporem et odorem refert ciborum, quibus nutrix vescebatur, v. gr. allii aut cepae, et therapeuticas recipit virtutes vel nocentes qualitates remedii vel veneni assumpti.

3. Feminae valetudo et physiologica conditio. Lactis secretio in macris, provectioris aetatis, morbo laborantibus abnormitates plerasque quantitatis et qualitatis praebet, licet copiosa nutrimenta assumpta optima indole gauderent; quum e contra bona valetudo et juventus nutricis malas ciborum qualitates corrigere valeant.

4. Animi motus. Nulla ferme secretio tam facile, pathematibus saevientibus, mutatur. Sub ira, zelotypia, libidine, terrore etc. lactis qualitas ita a norma abludit ut veneficam fere vim exercere possit. Non raro infantes complures gravissimos morbos et mortem ipsam patiuntur, si lac tali causa mutatum sugant.

Praeter allatas et aliae causae recensendae forent, quae lactis conditionem eminenter mutant, uti ipsa uberum conditio etc.; sed illae, quas retuli, mea sententia, sufficiunt, ut clare videatur quanta sollicitudo adhibenda sit in nutrice seligenda; nam si lac necessarium neonati nutrimentum sistit et aha ex parte pro diversis momentis allatis mutatur, in intimis proprietatibus, ita ut quasi venenum agere possit, neminem latet summa diligentia cavendum, ne nutrix talibus lactis mutationibus obnoxia sit, ut non bonae firmaeque valetudini sed morti sugentis suo lacte providéat.

Qui nutricis selectum facit investiget necesse est aetatem, constitutionem, valetudinem illius, mammarum formam, lactis aetatem et characteres atque denique nutricis et illius mariti mores. Aetas nimis tenera vel magis provecta generaliter lactationi adversatur; quae a vigesimo ad trigesimum annum ascendunt nutrices optimae sunt. Nutrix electa, robusta compage gaudeat, rubris pilis non notetur sed potius nigris, cutem nimis pallidam non gerat, nec exilis nimis nec nimis pinguis sit, gingivas et labia rubra offerat, dentes mundos, halitum et cutaneam perspirationem grata praebeat. Sed externus hic adspectus non semper sufficit ut de bona nutricis valetudine judicemus, nam saepe nutrices malitia summa incommoda sua atque foedissimos morbos sub sanitatis adspectu obtegere tentant; nulla ergo in-

vestigationis methodus praetermittenda est ut clare vera valetudinis conditio perspicua fiat.

Genitalia praesertim observanda sunt, ne fortasse albo fluore vel syphilitica infectione laborent — oris cavitas an ulceribus foedetur vel scorbuti indicia ferat, et denique cutis an herpetica eruptione tegatur, attentissima indagine investigetur.

Anamnesticum quoque examen de prima aetate nutricis plurimum confert ad detegendum an, fortasse rhachitide, scrofula similibusque jam dudum affecta, horum morborum seminium sugenti suppeditare possit. Ut tales notiones exactius habeantur non parum valent relationes de valetudine parentum, fratrum, filiorum, mariti nutricis, quum enim de morbis hereditariis sermo sit, etiamsi nutrix hisce affectionibus immunis videatur, eam rejicere cautum duco, quum suos talibus morbis laborantes accuset.

Nec parvi facienda mammarum conditio — Ubera mediocris voluminis, tenui cute obtecta, venis compluribus distincta, modicae consistentiae, hemisphaerica vel aliquantulum conica, papilla erectili, mediocriter elevata praedita prae ceteris praeferenda. Majus mammarum volumen pro quantitate lactis abundante non deponit, frequenter enim, pinguedine excedente, textus ipse secernens vel deficit vel torpore distinguitur in functione sua. Papillae minimae vel non erectiles os sugentis fugiunt, dum majores suffocationem illi minari possunt.

206

Conditio denique osculorum ductuum lactiferorum erit investiganda, ne nimis dilatata lac sponte emittant, talique copia ut sugentis conatus et deglutitionis vires superent, suffocationis periculum juvando, vel nimis restricta parcam tantum exprimant lactis quantitatem sub nisu infantis validissimo, et ita male nutritioni provideant, debilesque vires neonati infringant. Externa papillarum compressio sufficit ut haec vitia a fluentis lactis quantitate confestim manifestentur.

Jam superius exposuimus lac quam maxime mutari pro varia distantia a partu, ergo plurimum interest ut de hoc argumento nutricem eligens occupetur. Revera causa praecipua ea qua fit ut saepissime lac nutricis infanti noceat, in hac disproportione sistit inter aetatem sugentis et lactis ipsius. Colostrum, tenuis humor cathartica pollens virtute, ad amussim convenit debili digerenti vi infantis ex utero vix egressi, et meconii evacuationi favet, dum in posterum, vitae plasticae necessitatibus progredientibus et firma digestione perfecta, magis densum et nutriens lac sugens requirit. Pro variis hisce lactis mutationibus ab illius aetate proficiscentibus modo nauseas, dolores, indigestiones, diarrhoeas, obstructiones, spasmos infantes patiuntur, modo nutritioni imperfectae immo et ipsi marasmo obnoxii fiunt.

Ut lactis qualitas detegeretur analysim chemicam complures proposuere, sed quum experimentum hocce difficile nec constanter certum in-

stituetur, lactis densitas de illius indole judicium ferre permittit. Lactis guttula, vitreae laminae imposita, nec per densitatis excessum et viscositatem nimiam ipsi adhaerere debet nec nimis fluere propter earundem defectum. Praeterea si lactis emulsi aliquot guttulas in vas aquam colligens instillemus de ejusdem humoris densitate vel tenuitate nimia certiores facti sumus, prout statim lac fundum petit, vel in fluidum innatat, dum normale in aqua suspendi debet. Quoad indicia chemicae compositionis exinde deducta notamus lac densum casei, et tenue seri praevalentem quantitatem prae se ferre.

Characteres alieni in lacte occurrentes exactissime pensitandi sunt, seque ac lactis copia investigantis mentem fugere nequit. Sufficiens enim lac nutricis declarabitur si postquam mammae evacuatae sint post duas tresve horas rursus plenae conspiciuntur, vel si aliqua lactis quantitas uberibus restet, postquam infans large suxisset.

Considerare quoque debemus nutricis mores et characterem psychicum atque animi conditionem; haec enim omnia valdopere influunt ad lactis conditionem modificandam, uti superius monuimus. Praeterea hae morales nutricis dispositiones indicium relinquunt ut probe judicemus de diligentia, solicitudine atque amore quibus nutrix suis officiis incumbet. Hisce expositis, nec praetermittendum arbitror praecipue nutricis animum et mores primum educationis moralis su-

gentia fundamentum sistere, et exinde a nutrice aliquando vitia repeti, quae vix, aetate et luminibus intellectus progredientibus, eradicantur. Idem repetendum de nutricis mariti morbus, qui directe in uxorem agendo etiam in sugentem influxum exercere possunt.

Legibus praecipuis expositis, quae in nutricis selectu dirigere debent— nunc restat ut de quibusdam accessoriis in lactante observandis sermonem habeamus. Et primo quaestio offertur an urbanae vel rusticae nutrices praeferendae sint. Nutrix omnium optima, quae magis ad matrem accedit, censenda est: hoc sub adspectu in urbibus cives qua nutrices seligendae forent, ni, alia ex parte, compages magis robusta, firmior valetudo, quibus rusticae gaudent, et praeterea magis ingenui mores, prae civitatum corruptione, qui in agris vigent, ruris incolis praeferentiam concederent.

Rustica consequenter electa, quaerendum nunc an ruri commorari debeat vel, ad sugentis domum accedens, urbem petere. Si exacte quaestionem examinemus tum in primo quum in secundo casu difficultates et utilitates complures inveniuntur. Revera agri liberior aër melius saluti prospicit infantis atque nutricis, ac impurus qui in civitatibus spirat Adde quod nutrix vitae laboriosae rusticae assueta, nutrimento viliori etc. aegre forsan ferre possit civilem vitam. Sed alia ex parte puer ruri degens aegrius forte ferret loci mutationem, quum lactationis munere cessante ad fa-

milism redeat et nutrix ruralibus officiis incumbens, malo cibo pasta, certe difficulter atque infirme lactantis munere fungi possit. Nec praetermittendum quod domi facilius nutrices officia sua negligere possint, vino indulgere, venere abuti, male angentem tractare ac sub oculis parentum. Qua de re mihi videtur quod optimum consilium sit nutricem ad se appellare, ne, mercenarie tantum lactationi operam praebens, male sanctum opus persolvat. Ut vero damna, quae ex mutato genere vitae procedere possent, praecaveantur, rusticae nutrici in agris liberis ambulatio concedatur, ita et non immodica corporis exercitia; atque denique ciborum mutatio sensim sensimque fiat, ut lento tantum progressu nutrix matris cibos assumens lac puero magis conveniens praeseferat.

Pluries quaestio agitabatur, an copula nutrici concedenda sit vel neganda. Hic monere debemus instinctus sexuales frustraneos summopere bonae valetudini nocere et humores omnes atque textus organicos mutare posse; exinde clare concipitur quod lactanti coitus negari nequeat. Sed si instinctus genitales illosi male bono provident augentis, ex alia parte abusus coitus quam maxime damnandi sunt. Hujus generis abusus enim, uti doctor Deslandes observat, infantum convulsiones, ipsamque epilepsiam gignere possunt, praeter seriem innumeram malorum nutricem afficientium et indirecte augentis salutem laedentium.

Coitu lactationis epocha concesso, investigan-

dum est an feminae in utero gerentes nutricis munere fungi possint nec ne, an illarum lac venefica quasi virtute gaudeat, uti jam dudum publica opinio praedicavit. Mutationes, quas lac gravidae sustinet, non qualitatem sed quantitatem ipsius potius respiciunt. Revera sanguinis affluxus major sub gestatione ad uterum contingit, ut auctae hujus visceris vitalitati provideat atque embryonis plasticae vitae inserviat; exinde succedit quod lactis copia deficiat. Sed primis saltem gestationis mensibus parum fetalis vita requirit, atque consequenter nutrix in utero gerens suo officio fungi potest, donec lactis copiam augentis necessitatibus convenientem secernat, nec ipsa ob duplicem, ut ita dicam, jacturam denutritionem patiatur.

Feminae non rarae licet lactationi incumbant fluxum menstruum regulariter sustinent, complures lactationem hisce vetant, hic vero id repetendum censeo quod de gestatione dictum est, quod scilicet lactationis munere fungi possit, dummodo augens sufficiens lac inveniat nec lactantis valetudo duplicem ob jacturam laedatur.

Si, lactationis munere continuante, nutrix acuto quodam morbo vel chronico corripiatur, quidam suadent ut nova nutrix statim appelletur. Nos tamen, licet non uegemus in morbis plerisque lac laedi, novam tamen nutricem, quovis morbo priorem afficiente non suademus. In morbis acutis lactatio artificialis per breve temporis spa-

tium quo morbus durat institui potest, quin alterius lactantis opus necessarium sit; et in morbis quibusdam chronicis v. gr. in febribus intermittentibus lactatio produci potest quin ullum damnum sugenti immineat. Si vero nova nutrix necessaria sit, eaedem cautelae adhibendae sunt ac in prioris selectu, curando praecipuae ut lactis aetas cum sugentis aetate conveniat, atque si conditiones relatae in nova nutrice desiderentur, lactatio artificialis potius commendanda, et melius lactatio a capra perfecta, quum, praesertim aetate pueri progrediente, lac spissum caprinum prae ceteris omnibus conveniat, dum alioquin suctio immediate ex animalis papilla lac praebet animali charactere magis distinctum, ac illud, quod arte extractum, ebullitioni commissum vel separationes naturales in eo contingentes passum sit.

Quum de nutrice huc usque sermonem habuerim a re absonum non puto de quibusdam malis consuetudinibus loqui, nam quum hae tenellum infantem respiciant, illumque laedere valeant, nunquam satis nutricibus suadendum censeo ut ab illis abstinant.

Incunabula quibus infantis corpus, fere sub praelo stringebatur, nunc fere omnino oblivioni commissa sunt. Levret descriptionem cujusdam fasciae offert, quae puerum ita compressum tenebat ut illius pedes prebendere sufficeret ad universum corpus elevandum, ac si de rigido corpore ageretur. Tunc nutrices, mercenarie modo suo

muneri satisfacientes, infantem huic torcularis generi committebant; illius curam omnino negligendo. Quae vero malignitate non ducebantur, quum puerum rectum et extensum, manibus ad thoracis latera applicitis, stringerent, infantis corpus sustinere et firmius reddere putabant. Ita pueri motus inutili desiderio premebantur, ita deformitates complures originem sumebant. Tum vertebralis columna abnormiter erecta, costae a brachiis prementibus depressae, pectus in evolutione impeditum, ossificatio ubique laesa hoc ex fonte promanabant. Damna exinde derivanda a Desessarts affabre exposita sunt, inter haec vero praesertim, mea opinione, recensenda sunt pulmonum vitia, et morbi nervosi complures, uti epilepsia et chorea sancti Viti, ob vertebralis columnae et collectae medullae compressionem.

Quamvis praxis hujusmodi funesta perfecta fere abolita sit, non desunt tamen nutrices veteri praejudicio obedientes. Hisce saltem suadendum, quod, si incunabula deserere omnino negant, ligaturam minus strictam instituant, acus reliquant et manus atque brachia libera infanti concedant. Nunc, juxta Velpeau relationes, Angliae et Franco-Galliae nutrices, fasciis relictis, sacculis fere utuntur, quibus tenerum corpus neonati ab externis tuentur, quin illius motus impediant. Indusium largum quod retro aperiatur, juxta Ratier sententiam in eximio suo opusculo de educatione physica infantum, ceteris omnibus vestibus

praestat; nam tali pacto digiti infantis nec nimis extenduntur, nec luxationi ullo pacto obnoxii evadunt. Huic bono praeterea facilitas addenda est qua talis vestis mutatur, ut exinde nutrices munditiei neonati providere possint.

Summa quoque cura adhibenda est ne infantes quum gestentur fortiter contra pectus gestantis premantur; nam hae pressiones incurvationes, distorsiones artuum et praesertim pelvis aberrationes producunt. Quo minus infantes gestantur eo melius, sic vitanda est gestationis ratio hic locorum adhibita, qua dorsum infantis gestantis pectori comprimitur. Tum enim abdomen brachiis gestantis compressum plura patitur damna et praesertim sanguinis aliorumque humorum cursus et refluxus in artubus inferioribus impeditur. Quidam hic addunt quod infans gestantis adspectum conspiciens facilius amore tenero ergo illam percellatur quam si illius faciem fugiat.

Quum de gestatione loquamur etiam de agitatione infantum in brachiis sive in cunis sermonem habere debemus. Hujusmodi consuetudo, quae frequenter ut somnus conciliatur usu venit, ad praejudicia referenda est quae majora damna patrarunt. Vertigines, vomitus, convulsiones, spasmi, eclampsia, vegetationis totius aberrationes aliaque hujus generis plura tot damna sunt ex hoc fonte saepissime derivanda. Et sicuti talis agitatio aliquando ut fletus infantis sedetur instituitur, monendum physiologos nonnullos censere fletum ad

evolutionem viscerum pectoris conferre, nec semper ex necessitatibus organicis procedere atque exinde sedari non debere, ne respirationis functio impedita restet.

Aliud praejudicium infantum saluti infensissimum, in eo sistit quod nutrices omni studio infantes ambulare adstringant. Quum jam ad certam vitae epocham pueri perventi sint, zona pectus illorum premente, sub axillis retrorsum ducta, gressus vacillantes improvidae nutrices juvare et dirigere conantur. Ita vero pectus comprimunt, humeros sursum attollunt et scapulas propinquiores reddunt, quae omnia deformitates fovent atque respirationis vitia. Adde quod infantes, hisce auxiliis ambulare discentes, difficilius suis cruribus confidentes insistant et facilius cadant, si zona sustinens deficiat. Homines per se ambulare discunt ea prorsus ratione, qua animalia ad id perveniunt, quin praeceptoris lectionibus ducantur, sola natura magistra. Si vero rhachitide laborantes ambulare cogantur, facilius ossium incurvationes ipsi patiuntur, quum propter deficientiam phosphatis calcis, a chemicis observatam, illorum ossa mollitie afficiantur.

Nec hic praejudicia silent quae tot tantaque damna infirmis pueris parant; hujus generis est consuetudo in lectulo infantes stragulis obruendi, vel lectum ita collocandi ut oblique lux jacentem feriat; strabismus exinde principem repetit originem. Sed satis—sufficeret saltem ut, malas rejicien-

do consuetudines, humanum genus meliores notatas amplecteretur: heu nimis huc usque hoc de argumento medicinae et philosophiae monita fugiunt uti vox clamantis in deserto!

THESES DEFENDENDÆ

I.

Venus lactanti haud neganda.

II.

Consuetudo pueri gressus dirigendi zonis damno scatet.

III.

Animalia a peripheria ad centrum evolvi incipiunt.

IV.

Pleraeque deformitates in linea mediana adsunt, idque legibus explicatur in embryonis evolutione perspicuis.

V.

Venae sectio nullo medicamine suppleri potest.

VI.

Macritas, aetate provecta, longaevitati favet.

VII.

Gasa intestinalia plerumque non ex ciborum fermentatione nec ex aëre cum ipsis introducto procedunt.

VIII.

Gibba laborantes persaepe vitiis organicis quoque vasorum majorum afficiuntur.